



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Cap. I. De Peccatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)



EROTEMATA ECCLESIASTICA.

CAPUT PRIMUM.

De Peccatis.

Quæritur. Quid sit Peccatum? *Resp.* Quod est dictum, factum, aut concupitum contra legem æternam, atque adde contra rectam rationem. S. August. lib. 22. contra Faust. cap. 27.

2. *Quer.* Quotuplex sit Peccatum? *Resp.* (omisso originali) esse duplex: Mortale, & Veniale; & utrumque committitur vel per commissionem, vel per omissionem. Mortale vel est tale ex genere suo ob materiam gravem, ut est Homicidium, Adulterium: vel est tale ex accidenti, ut si ex verbo otioso resultet occasio peccati mortalis. Pari modo. Veniale tale est ex suo genere, ut si agatur de re levi; at fit etiam tale per accidens, ut si quis ex imperfecta deliberatione aliquid faciat, quod ex genere suo esset mortale. Sanch. in Decal. lib. 1. cap. 1. n. 3. Tambur. ibid. lib. 1. cap. 1. §. 1. num. 3. & Mastrius in Theol. Moral. disp. 15. num. 36.

3. *Quer.* Quænam sint Regulæ ad discernendum Peccatum mortale à veniali? *Resp.* Regulam generalem esse, mortale peccatum fieri, ubi graviter lædatur charitas Dei, vel proximi, vel sui ipsius. At ad cognoscendam læsionem gravem charitatis dantur sequentes regulæ. Prima: Si Deus ob eam rem in sacris litteris comminetur exclusionem à regno cælorum. Secunda: Si Ecclesia declaravit, esse peccatum mortale. Tertia: Si Viri docti sic communiter existimant. Quarta: Si lædatur Virtus aliqua Theologica, ut fides, justitia. Quinta: Si confringantur Præcepta Decalogi. Sexta: Si repugnet Præceptum Ecclesiæ, vel Superioris sub pena peccati mortalis. Ex his regulis, seu signis cognosci poterit mortale à veniali. Tambur. d. cap. 1. §. 2. & Mastrius d. disp. 15. num. 48. & 49.

4. *Quer.* Quot in casibus mortale peccatum transeat in veniale? *Resp.* Tribus in casibus. Primo, ob parvitatem materiæ (exce-

pto odio Dei, violatione virtutum Theologicarum, contemptu Dei, perjurio assertorio deliberato, Magia, Simonia, Re venerea ob libidinosum finem, irritatione Sacramentorum, Sigilli sacramentalis violatione, naturalisque jejunii insumente Eucharistiam) nam in his omnibus parvitas materiæ non excusat à mortali. Secundo, mortale transit in veniale ob imperfectam deliberationem, ut in semidormiente, semiebrio, vel aliquid ob repentinum motum agente; nam DD. distinguunt tres motus; Primò primum, in quo nulla est advertentia, & in hoc nulla datur culpa, neque in re gravi. Secundò primum, in quo imperfectè, & confuse homo advertit, & in hoc culpa mortalis censetur transire in venialem. Ac motum deliberatum, & perfectum, per quem seriò res consideratur, & in re gravi semper est mortale peccatum. Et tertio mortale fit culpa venialis vel ob ignorantiam non omnino crassam, vel ob aliquam urgentem necessitatem; ut latius declarat Tambur. d. lib. 1. in Decal. cap. 1. §. 3. ubi dat normam cognoscendi parvitatem materiæ, imperfectiorem consensum, ignorantiam, ac necessitatem à mortali excusantem; & idem docet Mastrius in Theol. Moral. disp. 15. num. 51. & seqq.

5. *Quer.* An sint casus, in quibus culpa venialis transeat in mortalem? *Resp.* Esse septem casus. Primus est respectu ultimi finis; ut si quis mendacium dicat, ut committat adulterium; vel si paratus sit patrare peccatum mortale, ut consequatur aliquid, quod in se sit tantum veniale. Secundus est, respectu contemptus, quando contemnitur Superior, ut Superior; non autem si tanquam homo indifferetur, vel severus, id est, contemnendo obedire etiam in re levi. Tertius est respectu periculi, quando scilicet non abstinere à veniali, sed ex eo imminet periculum labendi in mortale. Quartus est respectu conscientie erroneæ, ut si quis sponte veniale committat, credens esse mortale. Quintus est respectu scandali, ut si quis verba jocosa dicat, sciens ex eis proximum audientem lapsurum in peccatum mortale. Sextus est, si ex unionem plurium venialium formetur unum mortale,

tale, prout fit in eo, qui modica furta, sed pluries facit; vel sæpè comedit aliquid parum in die jejunii. Tambur. d. cap. 1. §. 4. Et Secptimus, si ex re levi fiat damnum grave, ut furando acum futuri alium non habenti. Bonac. de Rest. d. 2. q. 8. p. 1. num. 1.

6. *Quer.* In quo casu peccatum ex suo genere sive mortale, sive veniale non sit peccatum? *Resp.* Si actio peccaminosa sit involuntaria, id est, commissa absque advertentia, vel sine voluntaria deliberatione, aut sine consensu; ita, ut procedat vel ex motibus primò primis, vel ex coactione externa, vel ex rebellionem carnis; tunc enim, licet tutius sit, positivè dissentire dictæ actioni, tamen satis erit, se negativè habere, id est, non consentire; ideoque si Virgo per vim stupretur, vel si quis libidinosas agitationes patiat, non peccabit, si consensum non dederit, quamvis non eliciat actum dissensus. Jo. Sancius disp. 21. per totam. Et Tambur. d. lib. 1. in Decal. cap. 2. §. 3. num. 3. 4. & 5.

7. *Quer.* An passiones humanæ, ut Ira, Amor, Desiderium, &c. valeant excusare peccantem à peccato? *Resp.* Negativè regulariter, quia non tollunt facultatem advertendi; at si ita violentes fuerint, ut libertatem omnino deliberandi auferant, possunt reddere peccantem immunem à peccato, ut solet esse in blasphemantibus, vel percutientibus ex nimia ira, vel se interficientibus ex nimia tristitia. Castropal. tom. 1. tractat. 2. part. 1. punct. 5. Tambur. ubi supra §. 4. Farinac. de Pœnis temperand. q. 91. num. 16.

8. *Quer.* An metus excuset à peccato, ita, ut liceat transgredi Præcepta? *Resp.* Cum distinctione. Vel loquimur de Præceptis divinis, & hæc non licet transgredi per actiones intrinsecè malas, quamvis metus incussus sit gravis, ut infamiz, amissionis bonorum, ac etiam mortis; & ideo ad evitandam mortem non licet fornicari, adorare idola, aliudvè intrinsecè malum committere, ex quo Præceptum violetur. Si verò actio non sit intrinsecè mala, tunc gravis metus excusat à peccato, nisi simus in casu Propos. §. 1. damnata ab Innocentio XI. de qua Cardenas in Crisi Theol. Dissert. 31. Si verò loquimur de Præceptis humanis, eorum transgressio non est culpa mortalis, stante incussione gravis metus, si transgressio in se non sit intrinsecè mala, & absit scandalum, vel contemptus. Tambur. alios allegans d. lib. 1. Decalog. cap. 2. §. 7. 8. & 9. in quibus agit de nullitate Matrimonii, Votorum, & Contractuum ratione metus initorum. Et concordat Farinac. de Pœnit. temper. quest. 97. à num. 5. & seqq.

9. *Quer.* Quotuplex sit Ignorantia? *Resp.* Quod alia est ignorantia Juris, alia est Ignorantia facti. Item alia est invincibilis, seu inculpabilis; alia vincibilis, & culpabilis. Culpabilis verò subdividitur, quia alia est crassa, alia affectata, alia supina. Tambur. d. lib. 1. in Dec. cap. 2. §. 10. & Philippinus de Privileg. Ignorantia tom. 1. num. 7.

10. *Quer.* Quænam ignorantia excuset à peccato? *Resp.* Ignorantiam invincibilem excusare ab omni peccato, sive sit juris, sive sit facti. Ignorantiam verò vincibilem, crassam, affectatam, & supinam excusare à mor-

tali in re non gravi, at in re gravi, & præcipuè in Præceptis divinis non excusare. Tambur. d. §. 10. per totum. Farinac. de Pœnis temperand. quest. 90. num. 97. & seqq. & Philippinus d. tom. 1. cap. 3.

11. *Quer.* An ignorans pœnam à lege impositam, si delinquat, subjiciatur dictæ pœnæ? *Resp.* Si pœna imposita sit à lege divina, vel à Jure naturali, aut gentium, subjici; quia nemo præsumitur, eas pœnas ignorare. Si autem pœna imposita sit à Jure positivo, tunc ignorans invincibiliter, eam pœnam non incurrit, & ideo, qui nescit excommunicationem latam in percutientem clericum, vel surripientem bona naufragantium, non incurrit in excommunicationem percutiendo, vel surripiendo; prout neque in pœnam non petendi debitum ille conjux, qui conjugineam carnaliter cognovit, ignarus omnino de dicta pœna. Tambur. d. §. 10. à num. 9. & seqq. Ubi non idem dicendum est, si culpa sit affectata, & supina, quod latius prosequitur Farinacius ubi supra q. 90. à num. 92. & seqq.

CAPUT II.

De Conscientia.

1. *Quer.* Quid sit Conscientia? *Resp.* Quod conscientia largè sumpta est lyndetesis interna, id est, habitus quidam naturaliter nobis insitus principiorum practicum, quibus instruimur, justè esse vivendum, neminem lædendum. S. Thom. 1. part. quest. 79. art. 12. & 15. Conscientia verò stricte sumpta est actus intellectus, quo applicamus cognitionem illam universalem practicam actioni alicui singulari, judicando hic, & nunc, hanc rem esse exequendam, vel non. Lud. Abelly in Medull. Theolog. part. 2. tract. 2. cap. 1. scilicet §. 1. Tambur. d. lib. 1. in Decal. cap. 3. §. 1.

2. *Quer.* Quotuplex sit Conscientia? *Resp.* Est quadruplex; nempe Recta, Erronea, Dubia, & Scrupulosa. Conscientia Recta dicitur, quando judicium practicum intellectus verum est, ac rectæ rationi consentaneum. Erronea est, quando falsum est. Dubia, quæ neutri parti scit assentire, sed fluctuat. Scrupulosa, quando ob frivolas rationes formidat peccatum esse, ubi re vera non adest. Abelly, & Tambur. ubi supra. Mastrius in Theol. Morali disp. 1. art. 2.

3. *Quer.* Quam obligationem pariat unaquæque ex dictis Conscientiæ speciebus? *Resp.* Conscientiam rectam obligare ad agendum secundum illam, aliàs homo peccatum committit; quia ex ipsa resultat proxima regula Voluntatis operantis, S. Thom. 1. 2. q. 17. art. 3. & 9. Conscientiam erroneam esse sequendam, si ignorantia sit invincibilis; nam operando contra conscientiam erroneam invincibiliter, est peccatum. Si verò vincibilis sit ignorantia; puta, si quis credat, esse licitum mentiri in judicio ad liberandum reum, sed ignorantia vincibili; quia potest informari, & non vult, in hoc casu peccatum est tam mentiri, quia est contra Veritatem, quam non mentiri, quia est contra conscientiam credentem esse contra charitatem. Et ideo deponenda est quantocyus hæc conscientia. Abelly ubi supra.